

pseudo Iamsilla

Historia, 5 (sezione V)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

pseudo Iamsilla

Historia, 5 (sezione V)

Dignitatis autem Regiae celeriter honore suscepto, novus Rex partes Apuliae feliciter repetit sed cum ubique per Regnum bellorum seditio tumultuosa quiesceret, et spes iam probabilis quietis gratae delicias propinaret, generale colloquium apud Barolum celebravit, multis ibi per eum decorates honore militia, et nonnullis per investituram vexilli ad Cominatus excellentiam sublevatis. Post haec solemnem Curiam apud Fogiam universis citra portum Rossetti nobilibus, et baronibus convocatis indixit ubi ad honoris Regii clarificanda fastigia, tam de conservatione iustitiae, quam de aliis publici boni compendiis statutis utilibus publicatis, de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium choros, et agmina distinctio purpurata laetificat. Quamplures ibi regenerantur honore cinguli militiae, nonnulli magnificantur excellentium fasci bus dignitatum: Dies totus solemniter agitur, et post diei cursus flammificis facibus hinc inde lucentibus, ponderosa cerae coacervata compagine, in agone ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis, et pacis longis laboribus quesita utilia compendia occasio temeritatis exterminans infringeret rex Manfredus curas exercitiales aggrediens, cum magnifico, et potenti exercitu versus Regni confinia consilio deliberato procedit. Erat enim in extremis Regni partibus olim rege Conrado favente civitas Aquilae, in odium baronum illius contratae, per eorum villanos de novo constructa, ab inde videlicet Anno Domini 1252, in qua de diversis circumadiacentibus incolis, non absque complurium comprovincialium iactura nobilium, coadunata congeries in tantam iam multitudinem populosam concreverat, quod de suarum virium temeritate superbiens, se vicinis exhibebat

horribilem, et Domino Regi suis operibus indevotam. Quin potius velut pars universo non congruens, generalibus Regni statutis repugnabat, contemnens colla submittere, et singulares sibi vivendi formas coficere praesumebat: sperabat enim assumpto libertatis statu, contra Nobiles de contra Ecclesiae auxilio confoveri. Et ideo contra Manfredum, etiam post tempora coronationis suae, pertinaciter ribellione durescens, sub velamine devotionis Ecclesiae, regi parere contumaciter contemnebat. Ad huius itaque domandam proterviam, et per haec restituenda laesis iura sua rex victoriosus accingitur. Sed antequam civitatis moenibus eius se vicinaret exercitus, tamquam populorum difformibus erecta particulis materia ruinoso dispergitur, et dum volare supra se nititur aquila, plumis nudata solo deprimitur. Universis habitantibus, quibus in personis, et rebus tutelae veniam clementia Regalis indulsit, subito vacuata deseritur, et quae dudum plena populo stare nescierat, in combustionem, et cibum ignis illico tradita sola sedet. Et sic ea redacta ad nihilum, rex in Apuliam exercitu dissoluto revertitur, ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratae dulcedine solatiisque placidis restauraret. Acta sunt haec Anno Domini 1258. Intera Regem omnium Imperialium Sanguinis fastigiis cominatum, et a primis naturae vestibulis assuefactum desideriis magnis, de remotis partibus honoris, et glorie cupido solleccit; et dum posset eius affectibus tam nobilis Regni possession blandiri, et copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiae, ubi dignitas paternae praefulsit auctoritas, mentis suae dirigit intellectum. Extendit enim potentiae suae robur ad Ligures, dilatat ad Tuscos, et vicinitate suarum virium concutit Marchianos. Per diversas namque Provincias,

de antiqua extranea consuetudine coetus hominum divisi in partes remanserant. In Liguria Ubertus Marchio Pallavicinus, utique prudens, et nobilis, qui propter fidem, et servitia sua de Imperiali munificentia beneficia multa receperat, Caesaris, quoad vixit, ac postero rum suorum honorem praedicta cordi affectione zelabat, remanserant. In Tuscia pars Gibbellinorum, et Civitas Senarum praecipue quae Gibellinitates senescens in fide, tunc temporis semper erga Imperatorem, et heredes suos in servitiis iuvenis, et devota manebat. Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quae dum haec unum, illa vero aliud appetunt, inter se rediviva semper altercatione concernat. Ab istarum itaque regionum partibus cum ob fidem, quam erga Imperatorem habuisse praetendunt, tum ad ustione iniuriarum quam de hostium repressione concipiunt, Rex Manfredus istanter requiritur, oblatis sibi praenunciis, eorum antiqua devotio, et vires auxiliares ipsius Regis ad regionis eorum postulat favorem.

Favet iis inter diversa consilia Regis affectus, et successorem se paternae dilectionis exhibebat: et ne oblatae sibi victoriae gloriam negligenter abnuere videretur, ad provincias ipsas vires suas porrexit in subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii, Marchionem praedictum Pallavicinum in Lombardia Capitaneum statuit. Iordanum de Anglono Comitem S. Severini Consanguineum suum in Tusciam, Percivallum de Oria affinem, et familiarem suum in Marchiam generales loco sui Vicarios destinavit, deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus stipendia menstrua providit, assidue de aerarii sumtibus eroganda. Sub honorum itaque Vicariorum

minibus, et arduis praefecturis coepit continuo Regis honor augeri pavorque con crescere, ut rumores prosperi sucive de singulis cor eius exhilararent, et potentiae suae vires illustrarent. In Lombardia namque sub Marchione praedicto, magnificente Regiae viribus ampliatis, sic eius arrisit prospera fortuna successibus, quod in eodem quoque loco, ubi olim Parmensium audacia Imperialia castra combusserat, ignominiosae cladis excidia, ammissionem Carrocii, et expugnationis validae pertulit detrimenta. Sicque interdica viriliter iniuria patris a filio, locus ille, qui nominatus nuncupatione Victoriae visus Imperatori fuerat illusisse, grandem Regi praedicto ex hostibus victoriae gloriam reservavit. Civitates enim Cremonae, Papiae, Placentiae, Brixiae, et plures aliae ei reverenter obediunt; et nomen eius ultra, quam credi posset, triumphaliter exaltatur. Sub eius quoque felicitate cecidit pestifer ille Tyrannus Ezelinus de Romano, cuius impietatis rigidae, severitatis horridae, et vindictae execrabilis acta describere longum per se tempus exigeret. Sed prius necessarium videtur armatae successum prosequi, quam rebus atque personis tam nefandis tamque tristibus opponere calamum, vel auditorum animum applicare. Hic siquidem ab imperatore Frederico ditatus, et promotus in altum, eius nutibus tota fere Tervisina Marchia serviebat. Post infinita, et inusitata poenarum genera, quorum narrari potest a posteris nefandae crudelitalis exemplum, iam Regi Manfredo devotionis solitae signa non exhibens, dum collectis undique viribus contra Mediolanenses infestis angustiis processisset, prope Castrum Cassiani in manibus Cremonensium, qui sub praesidatu Marchionis praedicti in auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope flumen Addae miserabiliter incidit, ubi lethaliter

vulneratus, ductusque Suncinum morti succubuit, qui raptor fuerat vitae multorum.

Eodem quoque tempore civica Florentina cum parte Guelforum, non minus vitiis quam divitiis affluens, sic superstitiosa iam coeperat tam multitudine populi quam superbiae vento plena consurgere, quod de suorum Civium temeritate lasciviens, et de elati spiritus superfluitate confidens, dedignabatur pacificare se aliis, sed suppeditare sibi vicinos multipliciter satagebat. Huius itaque temeritas ac tibus fastuosis incubens, nec futuros eventus debita circumspectione praemeditans, suis omnibus, et fautorum viribus suorum congregatis, ad obsidionem Civitatis Senensis, commorante ibi memorato Iordano Comite cum stipendiariis Regiis, viriliter praesumsit acceder; factaque ibi mora, quam voluit, et usque ad Civitatem eandem ingenti depopulatione peracta, exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum Castrum Montis Alcini victualibus, et aliis opportunis, quod Florentini predicti tunc in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum prope Civitatem eandem ad duofere millenaria superbe processerunt, qui per aliam tutore viam illuc indemnes accedere potuissent. Contingit, quod dictus Iordanus Comes cum Theotonicis secum morantibus, et Senensi populo, cum parte Gibbellinorum, Regis auspiciis, in Florentinos eosdem, et fautores eorum viriliter irruentes, ipsos commissis hinc inde conflictibus expugnaverunt. In cuius expugnationis eventu sic potenti Florentina deflorata commarcuit, et defecit, quod ex eis eorumque complicibus praeter occisos gladio, quorum non fuit numerus praescriptus; captivorum solummodo, quod Regius carcere astrinxit,

quindecim millia, et ultra numero computantur. Versi sunt itaque subito dies solemnitatis eius in luctum, sublatis in opprobrium honoris insignibus: itaque eorum superstitione deposita, qui dum in honore essent, non intellexerunt, iam sumentes vincula, intellecta Regis eiusdem mandata devote suscipiunt, et reverenter eiusdem placitis colla submitunt.

Medio autem tempore Papali Curia morante Viterbii, inique Alessandro IV Summo Pontifice Viam universae carnis ingresso: dum Collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus sancti Ecclesiae fundamenta sunt posita, habere incoeperant de Pastoris substitutione tractatum: et cum inter eos vertiginis spiritu, et invidiae livore suffuso, non posset in aliquo de gremio convenire, contigit, quod Hierosolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad Curiam ipsam pro Ecclesiae suae promovendis negotiis accesserat, concorditer ad apicem Apostolicae dignitatis assuntus sit. Itaque factus de petitore concessor, de subdito Dominus, de filio Pater, Papa Urbanus IV, meruit nominari. Anno Domini 1260. Cumque post haec viderentur iam omnia Regni negotia sic firmiter tuteque disposita, ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex deliberato consilio Fredericum Malecta, Bizani Comitem, consanguineum suum, cum quadam quanti tate Theutonicorum ad gubernandam Siciliam in Capitaneum destinavit, qui dum in partibus illis contingentia quaelibet prudenter, et caute disponeret, dum se versus Montem Trapani, de cuius habitatoribus aliquid forte contrarium fama referente praesenserat, se cum sua familia vicinaret, et moraretur in campis, accidit, quod descendentibus ad eundem Comitem decem viris ex incolis dictae Terras, qui pro parte Terrae totius

universitatis verba devotionis offerent, cum ex longa sed vitiosa potius consuetudine nullum officialem libenter ad Montemincolae paterentur accedere, dum Comes ipse familiaris inimicitiae (qua nulla pestis occurrit proclivior ad nocendum) praecavere non posset insidias, quidam insolens iuventini nomine Gelbus natione Theutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris, et intimus fuerat, quem etiam dictus Comes Comestabulum Theutonicorum ex confidential praefecerat, et ad familiarum negotiarum consortium admiserat, capta tunc forsitan occasione, qua posset per contemium malitiae suae motum iam in actu producere, proditoria temeritate tentatus, cum quibusdam sequacibus suis in eundem Comitem sub tentorii velo iacentem inopinanter insilivit, ipsumque temerarie interemit. De cuius obitu cum rumor veniret in publicum, homicida praedictus, et complices eius ad montis eiusdem excelsa una cum praedictis Nuntiis confugerunt, frustra credentes inter eos commissi facinoris invenisse tutelam. Sicque montis eiusdem habitantibus, suae rebellionis malignitate detentis, ne scelus huiusmodi remaneret inultum, et montis perversitas in sua obstinatione persisteret, Fredericus Lancea Comes Squillaci, qui insolentias Regionis eiusdem ab experto calcare praenoverat, de beneplacito Regis Capitaneus in Sicilia subrogatur, qui sub fortuna Regia viribus Instauralis, perurgens obsidionis instantia, superbiam montis eiusdem per extremae desolationis, et exhabitationis excidum potenter edomuit, et eiusdem facinoris patrotores convenientis supplicii poena, quam iuste meruerant, caede confecit; de cuius montis incolis iussit Rex construe Civitatem novam, quae vocatur Regalis, prope Scappellum in loco, ubi antiquitus Civitatis Apollinis vestigia subsistebant.

Iam in tota Sicilia, pacis reformatione disposita, et Federico praedicto domestici restituto solatiis, Richardus Filangerius Comes Marsici ad eiusdem regionis regimen deliberatione provida destinatur. Dum autem Richardus idem officii sui partes impleret, et Rex in Apulia feliciter ageret, credens sic omnia in Regno disposita ut ex nulla timerit posset parte turbatio, novus et inopisatus in Sicilia partibus ignavie morbus invaluit, et mirabilis stupor irrepsit. Dum enim quidam pauper Iohannes de Calcaria nomine, infimae conditionis, et abiectae fortunae mole depressu, ac inopiae squallore discurret, ex concordibus forsitan vulnus ac aetatis indiciis, per quae fallax opinio in uno eodemque subiecto diversas plurimasque formas similitudinis conformitate mentitur, audivit pauper ab aliquibus, qui elemosinarum sibi suffragia porrigebant, Imperatori praemortuo, se fore consimilem; cumque videret inopinato ore verba crebescere, mutavit repente medicus animum, et quaesitus hactenus super his response negantia dissimulate, quatenus verisimilia facit quae dicuntur. Oritur ex ipsius negatione suspicio, et cum nutriatur hominis appetitus inventis, eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas, quo maior inficiatio tradebatur. Iam rumor de verbo in verbum in fabulationem dispergitur. Discendit pauper a frequentia populi; barbam nutri, ut inventa liberius valeat fabricare mendacia; loca petit vicina silvestria; firmat in monte Gebello latibulum; Imperialis sibi mores, et verba, quae veritas, et natura non dabat, adulta fictione componit. Iam falsus per Siciliam rumor increbuit: visitatur pauper in tenebris, honaratus plus solito, et rerum victualium, quarum ipsi prius inopia fuerat, copiosa per aliquos opportunitate fulcitur. Ad hoc plures exsules, quos perfidiae inacula de natalibus

terries vicinis abiecerat, et in memoribus latitabant, ad simulatum ipsum audito rumore currunt, falsitates tantas explorant, quaesitas inveniunt, et veluti qui fluminis impetu prolabentis apprehensa iam stipula credunt undas evadere, adhaeserunt exsules magistro mendacii, et quas solus forte formare non poterat, iam plures sibi addunt semitas, falsas roborant fictiones. Ecce iam plenum falsitatis Imperatorem titulat, colunt ut Praesidem, venerantur ut Dominum, et in securitatem Principis excelsum Montem Centurbii, quem olim exhibitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt; per quos Imperiali sigillo vitiose conflacto, sub consueto titulo Caesaris literas per diversas partes Imperator phantasticus subdola firmatione conscribit, et ut facilius audientium animos novae fraudis adinventione corrumpere; indicat se olim habitu simulato, divinae permissionis oraculo, ad expianda delicta nonum annum peregrinationis exercitio peregissee. Ita sollicitat, et sub isto colore requirere non formidat. Haec quippe fraudis, et erroris intemperies multa confinia loca Siciliae callida machinatione corrupta, et remota etiam, nisi necem praevenisset antidotis, morbus assiduus infecisset, cum essent quamplures, quos ad credendum simplicitas tanta conduceret, et nonnulli, quos etsi super hoc scientia certe non falleret, simulantes se tamen nescire quod noverant, ad ali quorum sequelam violatae iam mentis perfidia cogeabantur. Cumque super hoc Regis amicos relatio inopinata perstreperet, et ad longinquas ferme provincias figmenti huiusmodi novitas pervenisset, ad subvertendum idolum, et cultores eius dictus Richardus Praeses Provinciae instantem accingitur. Et cum ad summitatem montis ipsius, in quo iam perversorum quantitas magna convenerat, tum ex praedictae saxosae

rupis obiectibus, tum ex viarum arctissimis intervallis sibi, et suis impugnare volenti bus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis ingentem exercitu congregato firmavit; inclusosque coercuit ut nulla victualium quantitas, quibus miseram regere possent inedia, ad eos more solito portaretur. Cum autem nimis esset inelegans, nec Regia etiam fortuna permetteret, ut eiusdem pernicioosa temeritas, quae turpe nimis habuerat in sui fictione principium, non absque multorum iactura concreceret, et huiusmodi figmenti convitium ulterius transige, ac multorum comitiva sequacium per devia montium procederent, et honorifice fuisset ibidem a Civibus in illa vana pomposi tate receptus, dum frustra crederet tempus in antea servire versutiis, dictus Richardus Comes illuc cum suorum equitum comitiva procedens, confictu cum hostibus violento praehabito, praefatossemem, et complices eius ibidem prudenter, et strenue capere procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licet in spectaculum servari eos, et opprobrii causa petierit; quia tamen dignus non erat reus, qui tam sibi quam pluriuso aliis fuerat causa mortis, poenas digne fortitus, quas iuste meruerat, furcarum patibulo suspensus, quos intimos seguace sui figmenti participes, et collegas habuerat, eiusdem supplicii non dimisit expertes. Ad haec Rex praefatus post praedictorum supplicia, firmato consilio, partes Siciliae personaliter repetit, ut provinciam ipsam ab omni contagio perversitates expurget, et in statu pacifico suae praesentiae visitatione confoveat, pergensque Panormum multis fuit, et variis donariis praesentatus. Sic igitur regione ipsa disposita, Rex ad consueta solatia Lacus Pensilis, quae copiosa venationis habilitas, originalium fontium amoena frigiditas, et placidi situs

nemorosa temperies grata reddunt, haestate succedente revertitur. Dumque toto iam Regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis, et exteris, ad quae iam suarum virium habenas extenderat, stadium debitae curiositatis attingeret, parentelam cum Rege Aragorum tractatam hinc inde per Nuntios, praemissio primordio contrahit, et filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice, filia quondam A. Sabaudiae Comitum, imperatore vivente suscepit, Domino Petro primogenito dicti Regis Aragonum matrimonio solemni copulavit. Post haec ipse Rex Manfredus, quem Papalis Curia, ut sic exaltari non valeat, diffamare contendit, cui qualitas temporis et rerum eventus, invidiae zelo quotidiana crescente; felicitatem concumulant, citatur ad praesentiam Summi Pontificis, citatione vide licet publica, in colloquio tantum Papalis praedicationis expressa, et iscripta cedula affixis prae fori bus Ecclesiarum Urbis-Veteris, ubi tunc Sedes Apostolica morabatur, quae ad eundem Regem nec literarum nec Nuntii visione pervenit. Cumque nollet super hoc Rex ipse de arrogantiae seu contumaciae culpa videri notabilis, quem Papalis Curia satagi in quantum potest infamiae nota lacessere. Nuntios suos ad Sedem ipsam consulta deliberatione praemisit, humiliter supplicans, ut ex quo ipsum illuc personaliter iubere accedere, de securo et habilis loco, cum familia decente sua posset commode iuxta suae dignitatis exigentiam inhospitari, benigne sibi Pater Apostolicus provideret. Tamen Rex ipse magnifice usque ad Regni confinia cum magna, qua decurti, equitum comitiva processit, ut ex vicini tate loco rum posset habiliter super his Nuntiorum expectare responsa, et de ulteriori processu vel mora, sicut sibi melius expediret, consulta

deliberazione pensare. Excusatorum itaque praedictorum allegationibus non discussis, ipse Summus Pontifex eum vinculo excommunicationis, astrinxit; cum super hoc nihil sibi devotio demonstrata profuerit, quem conabatur Ecclesiastico iure omni, qua posset occasione, concutere, repetit Rex partes Apuliae, ut circa alia suorum negotiorum studia curas debitas, et visitationes impendat.

Interea Conradus de Antiochia Comes Albae, Regis eiusdem nepos, qui pro Capitaneo fuerant destinatus in Marchiam, dum ad Castrum Monticuli habitatorum copia, et montuosi situs eminentia munitum, sub confidentia solita, et spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita, et inopinata proditione detentus, in cuius subsidium ad mandatum Regis magno, et praepotenti exercitu congregato, Gualvanus Lancea Comes Principatus, et Fundorum Marescallus Regni, Socer eiusdem Conradi, cuius cordis intrinseca generi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus aliisque Regni Nobilibus sociatus accessit. Sicque per eum circa Castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, et ingenti depopulatione peracta, ibisque protracta mora usque ad vigesimum hyemis instantis tempestatis, dimissa quoque in Macerata magna equitum comitiva, ad expugnationem Monticuli processit; et captis quampluribus regionis Nobilibus, qui factionis eiusdem capita dicebantur, dictus Galvanus et alii de comitiva sua, solitu exercitu cum Castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulterius necessaria inde discessit. Contigit autem, quod idem Conradus, quem proditores ipsi ante depopulationis illata stipendia liberare noluerant,

procurante solertia quorundam devotorum suorum, qui circa custodiam assistebat, intempestive noctis silentio de carceris compendibus evasit, et restitutus est beneficio libertatis. Cum autem Regi undique ad volum universa succederent, Romani Cives de more mobiles, quos ex hoc in illud exsilis de facilis versat occasio, illius modicae libertatis reliquias, quas ipsis praescripta veterum transfundit auctoritas temere distrahentes, exclusis pro magna parte Nobilibus, Carolum Provinciae Comitem elegerunt Dominum, et Senatorem Urbis perpetuum evocarunt. Nunc etia Summus Pontifex, ut habuerat operarium, per quem temporalem gladium seculariter exerat, non absque iactura multorum Regi Manfredo procurat opponere, dum Regni Siciliae, cuius Rex ipse possessione pacificata fraebatur, verbosas, et scripta dirigit responsiones.

Intera Dominus Carolus ad requisitionem, et instantiam Romanorum Vicariorum suum misit in Urbem, ut Civitatem ipsam in eius absentia regat, et dirigat loco sui. Cum autem Vicarius ipse rector in Urbe praesset, et Nobilibus, quos abiectos invenerat, Civitatis introilum denegaret, Nobili quidam Urbis Proconsul, Nomine Petrus de Vico, qui in maritimae partibus Urbi vicinis plura Castra tenebat, e qui Regi Manfredo iam dudum ex zelo multae devotionis inhaeserat, guerram cum quibusdam adversariis suis et specialiter cum Pandulpho Comite Anguillarie quotidianis conflictibus agitabat. Huius autem Comitis pater multum fuerat Imperatori Frederico devolus: sed hic a paterna devotione degenerans, Regi Manfredo, per quem forte multa vitasset dispendia, signa reverentiae non ostendit. Illis quoque diebus Iordano Comite S. Severini exercente

officiorum Vicarii, dum in obsidione Monticuli potenter existerat... (Hic deficit). Post paucos autem dies ad petitionem, et instantiam dicti Petri liberalitus Regia, quae devotionis proximis, et remotis opportune porrigit de more suffragia, quamdam quantitatem Theutonicorum sub praesidatu cuiusdam familiaris sui nomine Francisci Trevisii in eiusdem Petri subsidium destinavit. Cum autem dictus Petrus tam gentis eiusdem auxilio quam partis suae favore confiscus, contra hostes suos animum roborasset, Civitatem Sutriam, cuius idem maiorem partem habere videbatur, violenter intravit, eamque Regio dominio subdidit, ac fidelitatis fecit sacramenta praestare. Medio autem tempore Rex, intermissis solatiis suis, proefectur est in Terram Laboris, ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum Regni, tam de resistendo viriliter Comiti Provinciae, si veniendi per eum, sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quam obstando quibuslibet aliis, qui Regni vellent turbare quietem, deliberationis debitae consilio providerent. Generali propterea apud Neapolim celebrato colloquio Comitum, et Baronum aliorumque Regni Nobilium animos, et vires examinat, et servitium, et quid eorum quilibet deberet, et posset, singulari discussione requirit. Iam vocatis singulorum servitiis, et feudatariis omnibus apertis, provida deliberatione statuit, ut Percivallus de Oria familiaris, et affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militia, et Saracenorum quantitate procedat.

Interea Vicarius Urbis Populusque Romanus pro recuperanda Civitate Sutrina communiter exeunt, et cum Civitatis moenibus appropinquassent, priusquam ad impugnationis conflictus signa perveniant, Civitate

ipsam propter subitam, et mobilem revolutionem Civium ad manus suas et dominium revocantur: discendentibus inde cum fuga supradicto Petro de Vico, et aliis de comitiva sua; qui non potuerunt sic omnes illaesi descendere, quin plures Theutonici de stipendiariis Regis cum eodem Petro morantes, equis et omnibus armis amissis evaserint, et quin nonnulli etiam ex eis in Romanorum manibus in carcere remanserint, ac in Castro Vici, in quo se receptaverunt dicti Petrus, et sui Romanorum ipsorum obsidione circumdantur generibus instanter urgentur. Cumque Rege morante Capuae haec omnis ad eius notitiam pervenisset, in melius mutato consilio, incontinenti memoratum Percivallum de Oria, qui versus Ducatum gressus direxerant cum exercitu suo versus partes Urbis in eiusdem Petri subsidium propere mandavit accedere. Alium quoque exercitum in Regni confinibus sub Magistratu Richardi Filangerii Comitis Marsici iussit illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi a praedicti Castri obsidione discederent, omni quo posset hic inde conamine, detrimenta continuae offensionis inferrent. Romani vero saniori usi consilio, audito quod exercitus ibat contra eos, et Rex etiam dicebatur iturus, et tempus recolligendarum frugum instaret, procedentes ab eiusdem Castri obsidione discedunt, et in Urbem propere revertuntur. Vel forsitan Romanorum innata dissensio, et natura semper ad dissentiendum proclivior, quae numquam commune commodum, sed privatum dumtaxat affectat, cum iam expugnationis ipsius Castri diem cerneret esse propinquum, nutantibus animis illorum de illo exercitu, et divisis rei coeptae, et iam votivae depopulationis partae non expectat eventum.

Sed Vicarius Urbis Iacobus de Gualtebino de Provincia oriundus, qui iam pro Domino Carolo venerat pridem a Gallia, mature debitum exsolvens, exercitus vota dirisa praesentiens, et maioris partis exercitus eiusdem mentes, quae non libenter ad finale dicti Petri exterminium accedebant, sic intra se cognoscens, quasi quadam machinatione corruptus, quando Theutonici intra clausuram Burgi morantes, qui de Tuscia venerant ad defensionem ipsius de se videbantur victoriam polliceri discedendi licentia popularibus data cohortibus, et militantibus in dictis catervis, scilicet dissoluto exercitu cogitur ab obsidione recedere. Deinde cum de mandato Regio Percivallus praefatus gressus suos versus partes Ducatus repeteret, et ad cuiusdam aquae transitum, quae dicitur Nigra, de Marchia prope Ayronem cum exercitu pervenisset, et in ipsius aquae passagio, quamquam gens praevia illaesa pertransisset, dum quendam alium praecedentem sibi relevare vallet, occisus fuit ille solus equo succumbente permersus: substituto sibi in Capitaniae officio iuxta Regis edictum Ioanne de Manerio, ut eiusdem exercitus praesideret. Post modicum vero temporis Rege in Apuliam redeunte, dum Petrus de Vico, et Franciscus Trevesius cum Stipendiarii Regis in quodam Castro ipsius Petri, quod Bremum dicitur morarentur, et comes Anguillariae cum comitiva sua, et alia copiosa multitudine equitum, quam sibi Summus Potifex, et Vicarius Urbis transmiserant apud Castrum Ventillae, quod tribus fere millibus distat a Brema, pervenisset, dum non posset se hostes prae nimia oppositione collium recte respicere, nec alter in alterum insilire contigit, quod cum dictus Comes, et sui de multitudine confidentes, in quodam media plana procederent,

memorati Franciscus, et Petrus cum Theutonicis secum morantibus, qui pridem ab ipse hostibus fuerant lacessiti, et ultionis tempus promptis animis exspectabant; in eos viriliter irruerunt, conflictuque magno inter eos hinc inde commissio, quodam Pippione Lombardo, quem Capitaneum 400. militum illuc destinaverat Ecclesia, pusillanimiter fugiente, captus est dictus Comes, et plures alii Nobiles Romani, cum ipso multis ex suis, quibus maxime Theutonicorum gladii non parcebat occisis, multisque in aestus ardore, et armorum calida oppressione peremtis, ubi Stephanus Attancia vexillifer exercitus Comitis, vir in bellorum exercitatione strenuus, et famosus, aestuans siti ut referentur oppressus, et suffocatus interiit, quamquam fortassis ex multis percussionum concussionibus exspirare potuisset. Cum eodem occubuit Palamedes eiusdem Vexilliferi nepos, cuius animositas in armis iuventutis multa probitatis industria se probavit. Ad haec memorato Vicario Caroli Romae prosecutionem sic benignus agente feliciter, non solus Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Caroli, sed Cives Gibellini Romani vigilanter intendunt, parati undique sollicite ad bella. Iam per maris excubias multitudo Galearum invigilat, et voluit parata aemulis classica numerosa concertare. Iam Theutonicorum voluntas strenescit effraenis, et eorum signa velut ex eventu forent futuro victrincia, in partibus Tiburtinis prope Celas circa Regni confinia pompose descensa praefulgent. Interea tamen cum per Romanam Ecclesiam Domino Carolo, ad prosequendum Regni negotium, esset in ipsius Regni concessione omnino stabilitum, quod saltem ipse personaliter Romae deberet adesse: Rex praedictus principiis sollicitus obstans, tam per mare, quam per aridam ipsius Caroli nisus est adventum

praecidere; ut per lapsum temporis Carolus idem ab accessione huiusmodi caderet, et dictus Rex postea eiusdem Ecclesiae reconciliare se posset affectibus. Unde sub ipsius Regis toto conamine quosdam fovebat honoribus in urbe, qui cum quibusdam aliis Gibellinis, consilio inito prius cum ipsis Gibellinis ad impediendum memorati Vicarii, et Caroli dominium diverterent, quibus cum suorum equitum comitiva per certas urbis portas certa hora repente intrent, ut non solum contra eundem Vicarium, sed contra Guelfos urbis, qui Caroli promovebant excellentiam, toto posse confligerent.

Apud castrum Cerveteris quantitate quadam equitum congregata, versus urbem tota nocte deproperant, ita quod in aurorae titulo urbis moenibus appropinquat, et dum solus cupit dona praevenire fortunae, vel potius infortunii calicem praegustare, ne sibi forte mora posset imbecillitatem animi imputare, protinus subintrat urbem, domos quasdam, quas tenebat, et quas faciebat tunc Vicarius custodiri, animose invadit.

Est enim Romae locus ab utroque Tyberis latere circum se positi divinus, ad quem praestant aditum pontium munitae conformiae Insula Licaonia ex antiqua nuncupatione vocatus. Hic absque montuosa eminentia, et sine munitione murorum est per se valde tutus, et fortis, ita quod longo tempore potest ab insultatione quorumlibet defensari.

Ad hunc autem cum idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet, praesentitus a loci eiusdem custodibus, ita secreto nequiens se, ut credebat, reducere, se et suos iuxta eundem locum, qui Piscinula dicitur receptavit, quasdam domos inibi muniens, et communis

viae fortificans passus, ut imminentem inimicorum incursum, qui iam erant contra eum venturi, subcaute posset evadere.

Cumque Vicarius praedictus cum quibusdam suis commilitonibus de Provincia, Romanorum Guelforum non expectato subsidio, ad expellendum dictum Petrum, et gentem suam decenter accinctus armis, et equis accederet, conflictus primordia reportavit diversa. Licet enim utraque pars Provincialis videlicet, et Gibellini Romani, qui cum praedicto Petro aderant, dure ac fortiter conflixerint, in ipso tamen principio Vicarius cum suis repellitur; sed occurrente sibi per Insulam supradictam Domino Iohanne de Savello, homine securi cordis et animi, qui honorem supradicti Caroli tota mentis affectionis zelabat, eodemque ab alia illius contratae parte cum gente dicti Petri viriliter confligente, dictus Vicarius contra hostes resumit vires, et animum, et belli perurgens insultum, eundem Petrum convertit in fugam; hos milites eius perdit, illos capit, et carceribus mancipat, et tam gloriosissimum, et victoriosissimum ex ipsius hostium triumphum consequitur, quod hostes omnes praedictos, excepto eodem Petro cum tribus tantum sociis, fugae praesidio ab hostili tempestate subductis, vel crudelis gladius excidiose contrivit, vel Capitoli carcer adstrinxit. Cumque tota fere Gallia, et Provincia pro dicto Carolo, qui de Regi dominio perpetuam iam a Sede Apostolica receperant cessionem, ad mactandum vitulum saginatum, quem eiusdem Regni Siciliae deliciosa nutrierant, provida foret sollicitatione commota, quibusdam melliflua coactione perversis, nonnullis stipendia magna recipientibus, quae de mandato Summi Pontificis proventuum

Ecclesiasticorum decimatione acceperant, contra Regem dictum mirifice venire paratis, iam per Montes Etruriae fulgentia illorum signa vernarunt. Iam pro conservatione Urbis ad praeparandam Carolo viam quamplures milites praemittuntur; et dum favet huic Dominus Clemens Ecclesiae universalis Antistes, qui cum esset de provincia oriundus, erga Carolum multa teneritate cordis accensus, et de statu suo, tamquam Pater de filii honore sollicitus, ipsius quasi Ecclesiae dumtaxat negotium, indefessa sollicitudine vocis, et operis ferventer assumpserat, et omnia quae sub caeli reguntur regimine, et quae ambitus terrae claudit, sereno, et votivo laetitiae iubilo, Carolo militanti; cum quidam miles cognominatus Ferrerius, qui statura magna corporis ferri verisimiliter nomen aequabat, hinc Romam primitus veniens, versus partes Tiburtinas ad loca, quae Cellas nominant cum quodam promptitudinis fervore procedit. Ibi Dominus Iacobus Neapolion caput Gibellinorum Urbis, propter Gibellinitatem ab Urbe deiectus, habebat prope ipsas Cellas Castrum Vicovarri, valde forte; qui erat Dux, et ductor quorundam Theutonicorum, quos ad partes illas in ipsius subsidium Rex ex callida provisione transmiserat: cum quibus dictus Ferrerius sperans in illo sui fervoris impetu de Theutonicis, et Romanis exsulibus promereri triumphum; ex improvise bellum durissimum inchoavit: licet a quibusdam militibus Campanis, quos Summus pontifex stipendiari fecerat in eius subsidium, fuisset inchoatum bellum fortiter dissuasum. Verum non sine misterio Caroli volebat auspicia, ut propinquum campestre bellum perderetur a suis, quia fortuna plurimum actibus humanis illudens, nonnumquam per praecedentia signa victoriae ultra mentitur cum felicitate futura; et cum quosdam favores primordialiter exhibet,

omine iactans votivo primitias, ut incantos postmodum in abyssum finalis exterminii liberius demergere valet: Hoc continuo ludo ludendo, volens Regi praedicto favisse videri, dat sibi, ut ita loquar, morsellum cerebri, ut non possit amplius ex aliis deglutire; et sic dictum Ferrerium, quod incaute incoeperant, in praecipitii discrimen adduxit, et bello totaliter perduto, captum inibi hostium suorum conclusit in manus. Quem Ferrerium memoratus Dominus Iacobus Neapolion, ex novo triumpho novo repletus gaudio, captivum ad Regis praesentiam sub fida custodia destinavit. Huiusmodi captionis diem rex ipse quasi felicitum successuum gloriam, et mysterium solemnizans, festiva celebratione commemorant. Veniunt augures, adstant astrologi, adsunt aucelli, currunt aruspices, divini festinant, ac veluti qui sua dicta, ut volentibus applaudant Dominis, et dissimulantibus adulentur, soliti sunt subornare mendaciis, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

Intera terminus peremptorius, qui Caroli exaltationi, tamquam fatalis instabat, ex temporis decursione paulatim serpens appropinquat, et dum de adventu ipsum vola hominum quodammodo desperarent, subito iuxta fauces Urbis Galearum stolium cum gente in mare pugnabili, ad impediendum Carolo marinas semitas destinatur. Hoc post quam fauces Urbis conspicuas trabibus, et palis, et magnorum lapidum mole replendo turbavit in tantum, quod Galeis aditus de facili non palebat, ruina credens per hoc Caroli Galeans naufragium sic intercipere, quod nullatenus potestatis suae iudicium posset effugere; metuens propter inundantes tempestatum procellas, in cassum

ad terram naufragiis deportari, alta petit aequora, et freta spatiosa perrerat, Galeae vero, quae Carolum devehebant ad terram ab impetu ventorum invitae fortassis impulsae, hostium non obviates Galeis, iuxta Romanam plagam fixis anchoris, extensis rudentibus se coarctant, et eadem durante procella, Carolus ascendens quamdam Sagittam, non sine personae discrimine, terram petit, cupidus forte Intera terminus peremptorius, qui Caroli exaltationi, tamquam fatalis instabat, ex temporis decursione paulatim serpens appropinquat, et dum de adventu ipsium vola hominum quodammodo desperarent, subito iuxta fauces Urbis Galearum stolum cum gente in mare pugnabili, ad impediedum Carolo marinas semitas destinatur. Hoc post quam fauces Urbis conspicuas trabibus, et palis, et magnorum lapidum mole replendo turbavit in tantum, quod Galeis aditus de facili non palebat, ruina credens per hoc Caroli Galeans naufragium sic intercipere, quod nullatenus potestatis suae iudicium posset effugere; metuens propter inundantes tempestatum procellas, in cassum ad terram naufragiis deportari, alta petit aequora, et freta spatiosa perrerat, Galeae vero, quae Carolum devehebant ad terram ab impetu ventorum invitae fortassis impulsae, hostium non obviates Galeis, iuxta Romanam plagam fixis anchoris, extensis rudentibus se coarctant, et eadem durante procella, Carolus ascendens quamdam Sagittam, non sine personae discrimine, terram petit, cupidus forte prius in ipso littore mori, quam ignominiose a Regi concessione repellit. Sicque in descensu, dum non crederent evadere, sed omnino submergi terra Romana ipsum excepit redivivum; et itidem maris impetu tranquillato, Galli sui procedunt ad fauces, quae obiecta fuerant obstacula submovent, et Tyberis alveos

liberi ingrediuntur, ac deide, ut moris est, trahuntur ad Urbem. Carolo, qui ad terram ante descenderet, sicut Deo placuit, qui hominum dirigit vias, et vota, omnes Romani Nobiles veniunt obviam, et eum reverentia multa suscipiunt; et tandem apud Monasterium S. Pauli prope Urbem conducunt eumdem, cui turba Romana plebis infinitae generis utriusque, Senex, et Iuvenis, laicus, et Clericus, ac Religiosi etiam, cum palmis processionaliter circumeundo pronuntiant Hosanna pium. Atque ex eius adventu Romanus Populus sumens ex animo festiva tripudia, choreis ludentium, et psallentium cantica noviret exinde adinventis, de more dispositis plateis, et in eis saltantibus pedibus calcare non cessant; et quilibet Nobilis iuxta suae facultatis potentiam secum quorundam sociorum equitum comitivam signanter inducit ad ludendum; e prius in ipso littore mori, quam ignominiose a Regi concessione repellit. Sicque in descensu, dum non crederent evadere, sed omnino submergi terra Romana ipsum excepit redivivum; et itidem maris impetu tranquillato, Galli sui procedunt ad fauces, quae obiecta fuerant obstacula submovent, et Tyberis alveos liberi ingrediuntur, ac deide, ut moris est, trahuntur ad Urbem. Carolo, qui ad terram ante descenderet, sicut Deo placuit, qui hominum dirigit vias, et vota, omnes Romani Nobiles veniunt obviam, et eum reverentia multa suscipiunt; et tandem apud Monasterium S. Pauli prope Urbem conducunt eumdem, cui turba Romana plebis infinitae generis utriusque, Senex, et Iuvenis, laicus, et Clericus, ac Religiosi etiam, cum palmis processionaliter circumeundo pronuntiant Hosanna pium. Atque ex eius adventu Romanus Populus sumens ex animo festiva tripudia, choreis ludentium, et psallentium cantica noviret exinde

adinventa, de more dispositis plateis, et in eis saltantibus pedibus calcare non cessant; et quilibet Nobilis iuxta suae facultatis potentiam secum quorundam sociorum equitum comitivam signanter inducit ad ludendum; nec est sane memoria, quod alicui Domino Romani usque ad illa tempora maiora ostentamenta gesserint, quae disertoratoris officium, nequaquam brevis hora temporis, enarret.

+++ Dictus ergo Carolus qui mille forte milites electissimo, et in exercito belli viribus expertos per mare traduxerat, dura maris tempestate confractos, quorum fatigata membra Ecclesia praedicta restaurat, exercitum copiosum expecta, qui per Terram de Ultramontanis partibus veniebat, et interim equis opportunis milites suos munit. Sed dum Admiratus stolii Galearum Regis, quas usque in districtum Ianuae valida tempestas impulerat, Carolum, et Galeas suas vidisset, quod prospere Romam advenerat, statim turbatus medulliter, et confusus spiritu retrocessit, et repentes fauces Urbis, comperit de faucibus Tyberis omnia obstacula, quae obiecerat, provida deliberatione deiecta, et neglecta sollicitudine redargutus, passus est digne contumelias et terrores. Rex itaque Manfredus, audito quod Carolus Romam sub tanto discrimine venerit, coepit mente fremescere, et dum vix credere posset narrationem rumoris huiusmodi, qui ex continua sollicitudine Nuntii, velut caldararii malleus; qui ictum ad cudendum socii non expectat denuo statim perstrepebat auditum, non solum veniendi admiratur modum, sed qualiter stolium Galearum suarum classica Caroli sic praeterire potuisset invisa, vehementissime obstupescit.

Ex his, et aliis praesagiis, quae Caelum, Terra, et Mare portenderant, intellectum recipiens quod ex Dei iudicio singula videbantur esse talia praeparatoria contra cum. Illis enim temporibus Cometa, qui multos annos clausus sub Coeli volumine in sui apparitione consuevit benignus invitare, et subsistentiae quassare domina, velut Solares radios suos usque ad terras lucidissima Cometa, extendit. Sed quamquam dicto Regi de suorum proxima ex praecedentibus signis desolatione daretur intelligi, consulens tamen augures, et requires astrologos, mentiebantur sibi quodam palliato solamine, per longa tempora regnantium. Sicque generali colloquio apud Beneventum edito, Barones, et Feudatarios omnes Regni Siciliae, ac quosdam bonos viros de singulorum bonorum locorum districtu evocat, et Theutonicorum cohortes, quas per Italiam sparserat, collegit. Congregatis ergo universis, quos fecerat accersiri, ad comites tamquam ad electos suos se dirigens, talis sermonis propositiones orditur.

Ecce, inquit, ignis urens de loginquo prae foribus nostris assistit, unusquisque propterea suae domus aquam sine excusatione manibus suis excipiat, et obsistat, ne dum sine rerum, et personarum exceptione consumit, domus cuiulibet devoretur ab eo. Ecce incurata ulcera, quae malus noster pudor sub contemta dissimulatione celabat, sine medicorum suffragio parantur ad fistulam; quilibet ergo proprio gladio vias morbi huius toto posse concludat, ne dum usque ad cordis viscera venerit, et nostars intimas neglectus medullas inficit, deinde incurabilis habeatur. Gens quippe ista, dum Comites, et Barones Regni, et Patrimonium nostrum venit invadere, ferocissima, et austera censetur. Haec inquam, pietatem,

et misericordiam dimisit; infantia cor durum, ferocitatem mentis animum inexorabilem contra nos ex proposito secum congestat. Audivistis aliquando de benignitate, et mansuetudine illorum de domo Francia aliquid enarrari, sed tales non credatis esse, qui nos veniunt aggredi. Nos quidem nec amicae preces, nec affectionis zelas contra nos, et Regnum nostrum concitavere venturos, sed sola cupido auri, et affluentia Regni nostri, quam pompa Regnicorum fecit esse desiderabilem. Illa violentos praedictos allicit, et rerum alienarum sitibundos attrahit, et ad spolia nostra desiderata compellit; et sicut Comes Provinciae Carolus filius Regis Franciae facit nostram ut personam exterminet, quotidie se contra nostras fortunas parat, sic, immo avidius, illi, qui cum illo associantur, sub illa intentione deproperant, ut bona vestra diripiant, et non dimittat personas. Crudelis impietas, nostris inaudita temporibus! Exterae, et effraenes gentes, quae non nisi ad crudelia execrabiles habent aptas ad ferocitates manus, et ad spolia promptas, querentes semper quid devorent, tranquillum statum Regni concutiunt, et omnia nostra perturbant dum credunt solo fruitorii impetu subiugare; sed ex quo cum ferocitate festinant, ferocius resistamus eisdem. Firmum enim credere possumus quidem, quia prostrarum virium defensione, et pro conservatione nostrae iustitiae dimicabimus, malitiam ipsam iustitia non debeat confovere. Unum quidem attendite, quod venientibus cedamus hostibus, aut lente resistamus, vel si nos audient aliquo modo trepidantes in aliquo, Gallici de more tunc quantum possunt, impellent, animosi enim sunt aggressores, sed si resistatur sibi viriliter, consuetudine superborum, finaliter consueverunt succumbere. Quia igitur haec iniuria tangit omnes nostros fideles, et illum magis,

quem Regis copia plus abundare concessit, et qui Terram a nobis obtinet ampliolem: universi ergo, et singuli, qui zelant nostare Maiestatis honorem, et affectant Celsitudinis nostare gloriam, iuxta suarum facultatum potentiam, armis, equis, et proborum vicorum comitiva se muniant; ut cum veniunt turba nostrorum hostium confinia Regni nostri pulsaverit, illis et eorum superbiae sic potenter, et viriliter obsistatur, quod doleant se in Ultramontanis partibus non fixisse vestigia, et si qui manus potuerant copiosa nostra gentis effugere, cenfusi mox subito retrocedant.

Postquam igitur Rex Manfredus circumstantibus turmis votum taliter suae mentis aperuit, et propositum sui cordis fundo depromsit, universi quidem, et singuli colloctioni Regiae annuunt, et parlamento dimissio, a quibuslibet ad propria sub eo colore, ut quilibet iuxta suae facultatis potentiam contra venientes hostes sua muniant. Redeuntibus iam promissa fides Comitum latenter violatur intera, quam sola imbecillitatis animi, ac falsae mentis incostantia, et non melus violabilem faciebat; nondum enim quemquam timere poterant, sed eius formidine, quod verebantur accidere, futuri casus praemeditatione perterriti, tractatum per Nuntios tam cum Comite Provinciae, quam cum Apostolica Sede dolosius ineunt, et eorum vota Comitum eiusdem voluntatibus Nuntiorum destinatione confoederant, ac ipsius mandatis placida significatione arctantur. Rex tamen Manfredus post haec in Alamaniam pro duobus millibus militibus equitibus, pro quibus pro sex mensibus stipendia duplicata trasmiserant, non sine anxia voluntate transmittit.

Interea Carolus Romae in Basilica Apostolorum per quatuor Cardinales, a Summo Pontefice ad urbem de Viterbio propterea destinatos, in Regem Siciliae delinitur, et Regali diademate coronatur. In cuius coronatione mirabilia festa fuerunt Anno Domini 1265 per Clementem IV, succedentem Urbano, et nova tripudia, et festiva gaudia celebrantur. Ludunt enim generaliter omnes Romani, et quilibet, sicut ei plus bonorum copia suppetit, ita miles pariter, et pedes instructus per agmina pomposius se ostendit ibidem, et celebriora constituit solemnities festi huius, ut diei tanti negotii memoria perenniter memoretur. Iam Gallicorum multitudo numerosa circumfluit, iam totus Regis Caroli sollicitatur exercitus; Romani veniunt quidem inopes, et laboribus fatigati, ac expensis oppressi, et ideo eorum prompti spiritus violento appetitu ad bella eos accelerant, compellunt, et verbo, et opere, acerbiores efficiunt, et amicitiae traditores. Unde extingui celeriter pro prima furia cupiunt, vel caedis occasione, aut spe pretiosorum eorum sacrorum mobilium amplo voto cogitant, et affectant. Contrahit tamen, et ipse Carolus, et alii de exercitu suo mutua a Romanis Mercatoribus, qui desiderabant in Regno Siciliae libertatis immunitate gaudere, multaque praecedenti pollicitatione recipiunt.

Reconciliantur quamplures Gibellini Romani, et ad Regis Caroli gratiam cum quadam promptitudine redeunt, ex quibus Petrus Romanus iam dictus, qui Regis eiusdem quondam persequabatur honorem, nunc Maiestati Regiae devolus efficitur, et ad ipsius fidelitatem gratiosius admittitur. Hic, ut dictus Rex de conversione sua pignora certa reciperent, contra Manfredum una cum Regis exercitu ultro se offert iturum.

Profecto modica supellex, rerum penuria, et carentia pretiis, Gallicos instantissime impellebant ad Regnum; sicque a Dominis Cardinalibus supradictis suscepta cum devotione venia omnium peccatorum, quam auctoritate Summi Ponteficis poterat indulgere, versus Ceperanum, ubi Regni, et Campaniae fluvius quidam confinia dividit, avida voluntate festinant. Cardinales vero praedicti extra Urbem tantum Regem traducunt, eumdem ibi iuxta Formas ipsum mutuo pacifice osculantes, et signantes eum Crucis signaculo, abire licentia data permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Richardus S. Angeli Diaconus Cardinalis, natione Romanus, usque ad Castrum Molariae proprii impensa peculii, pro sua, et suorum perpetua propensione, comitatus est Regem praedictum. Manfredus vero status sui huiusmodi ventura flagella praesenserat, ac veluti in extasi ac alto terroris involucro positus, ignorat penitus, ubi venientibus hostibus se opponat, ubi eis obstacula praeparet, ubi obsistat eisdem; et dum ad resistendum propterea flumen repetit, ut per se facta impedimenta sint talia, quod hostes in oppositum constituti nequeant se manualiter iungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum, et tandem Beneventum festibus discurrendo gressus dirigit et revolvit. Quamlibet enim Terranum huiusmodi alta fluminis ripa fortificat, ac profunde defossum aggeris roborat; sed praescitus ad malum obstinatus Manfredus, qui apud Ceperanum gentis suae resistantiam ordinare debebat, passus Regni vacuos, et sine custodiae munitione reliquit, ut liber ad Regnum aditus pateat inimicis. Verumtatem in Castro S. Germani duo millia Saracenorum, et mille equites iussit pro tuitione morari. Sicque Rex Carolus cum suo victorioso exercitu Regnum libere ingredientur, de cuius amoenitate iam aspergitur

nova laetitia, iamque gaudio votivo completur, et diem quamlibet pro anno sibi computat effluere, donec resistentium adversariorum posset faciem intueri.

Venit igitur propere ad quoddam inexpugnabile Castrum, quod aliquid contrari videtur habere, cum Rocca Arcis appelletur a vulgo. Haec enim Rocca vix fortior posset inveniri, quam rupes montuosae circumdant, et quasi de medio petrarum confixam, saxosa montium praerupta convallant. Hanc Gallici pedites, quasi leve quid esset miraculose conscendunt, ad quam nisi noviter mutaretur infirmitas, vix crederentur posse per longa tempora devenire. Sed sicut Deo placuit Castellanus inibi deputatus, violentis perterritus Gallicorum insultibus, et prae multitudine copiosa exercitus castramentatis, per ipsius Castri circuitum stupefactus, misericordiae mercedem implorat; cui mandata Regis Caroli coacta voluntate petenti Rex ipse personae veniam benignus indulgit, et mobilium rerum suarum, quas in eodem Castro habebat, omnimodam tutelam spopondit. Fama itaque referente per patriam, quod gentes Ultramontanae tam fortissimum, et inexpugnabile Castrum belli subiugaverant insultu, quaelibet Terra, quae ea se minus fortem esse putabat, et debilius poterat se tueri, tanto magis diem conflictus, et expugnationis expectare formidat. Unde factum est, quod quaecumque Civitas, Castrum, seu Casale, situm est in circuitu Burgi S. Germani praedicti, abiurato Manfredo Domino, et Regis Caroli mandatis devote parendo signa subiectionis, et fidei voce confitentur, et opere. Iam famelicis, et fatigatis gentibus de suorum victualium foecunditate subveniunt, et quaeque pretiosa pro liberatis dono assequendo Regi offerunt, et militibus Regii. Sed haec

modica pars Regni, nec tanta, nec talis erat, quae de substantia sua replere posset vacuum Gallicorum, seu eorum resarcire penurias, vel anxietates extinguere; unde succedentibus eis ad votum undisque prosperis, vigorosiores, et magis voluntarios ad spolia, et excidia hostium, requiemque suorum laborum, Princeps iste mendicus suos in his effecit. Et veluti astur, quae plumis deformis suscipitur ad capiendos aestivo tempore teneros perdicum pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus volet ab ungulis, per doctum aucupem provida incitatione dirigitur, ut capta praeda, et pullorum huiusmodi sanguine praegustato, deplumare iam discat, et efficiatur postmodum magis rapax: ita Gallicorum innata complexio, quae per se speciali ferocitate suffulta, sine pavore mortis infert, et refert exitialia iacula, ad illas rationes occisionis accenditur, et ad spolia praedicta violenter allicitur, iam praematura feliciter capta praeda, et deliciarum Regni dulcedine praegustata. Huius igitur successu felicitatis accensi ad Castrum S. Germani, ubi magnam partem opponendae resistentiae invenire credebat, propere nimis pergunt; et cum omnes fere machinas, quibus mobilium equorum suffragio uti consueverant in obsidione Castrorum, secum fecisset Rex Carolus per multitudinem curruum deportari, ibi apud S. Germanum singuli de curribus deponuntur, et currus pariter, et aurigae subsistunt. Verum nihil his machinis, nec aliis similibus generibus oppugnandis profecerunt; nam quanto invalescebat Gallicorum animositas, tanto in hominibus Terrae crescebat audacia.

Insultum igitur manualis pugnae contra muros a latere fluminis ferventer incipiunt; et quoniam plus Latini

de more, quam Gallici consueverunt, et industriusius etiam, impugnationes Castrorum huiusmodi genere, quam Ultramontani, nonnulli Nobiles animi, et corporis vires, et virtutes cum quadam fervoris anticipatione moliebantur ostendere, inter quos petrus Romanus, Romanorum Proconsul superius nominatus, cupiens Regis eiusdem gratiam redimere mentis, quam apud eum demerando perdidit, locum pugnae cum quibusdam commilitationibus suis anticipans ipsius Burgi muris sine discrimine approximavit impavidus; quem iactus frequens innumerabilium lapidum, illorum videlicet, qui muros tuebantur eosdem, usque ad mediam corporis partem obsedit in tantum, quod se movere non poterat; sed eum quasi perditum Gallicorum, et Latinorum succurrentium promptitudinis salvavit, cuius audaciam videntes corda fortificantes, et animos, et coeptum continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt, ut fugatis murorum defensoribus portam occupaverint praedictam. Profecto tam durissimum insultum Saraceni, et alii, qui pro ingressu exercitus ad custodiam S. Germani per Manfredum fuerant deputati, oculis intuentes, et maiorem illo mentis intuitu recensentes, se fugae praesidio commiserunt, cum non ad impellendum ex deliberatione potius essent acti. Sed his fugae remedium usquequaque non profuit, nam maiorem ipsorum partem Gallicorum gladius sine misericordiae venia trucidavit. Occubuerunt inibi sine numero multi, quibus non pepercit Gallicus, vel Latinus; et eorum corpora, quae prae vulnerum confusione crudelium discerni vix poterant, in esum esurentium animalium iacebat exposita, et famelicis votibus derelicta. Nonnulli tamen manum Gallicam evadentes, et fugam usque Beneventum continuantes, ubi Manfredus

cum magno exercitu Theutonicorum, Lombardorum, et Regnicolarum aderat, satis vere poterant de huiusmodi strage referre. Cumque denuo successu, et prosperitates Gallicorum multiplicantur feliciter, violentius eorum invalescebat audacia, et voluntatis anxiae promptitudo crescebat, unde nullo quaesito diffugio, sed sublato quolibet morae dispendio, ad Manfredum pervenire desiderant, et cum suis militibus conflagere anxiantes usque ad fores validas Civitatis Beneventanae actu continuo, et impulsu non cessant adversariorum reliquias persequi: et dum nec sibi, nec equis eorum parcerent, qui erant prae longo itinere fatigati, quasi omnes deficere videbantur. Sed tanta erat spoliolum aviditas, dum eis undique prospera, quod totius laboris, et discriminis onera levia reputabant.

Postquam igitur Gallici continuo, et veluti Arcerus Siculus, qui de mane ad vespera clamans sequitur, fatigati ad quemdam Campum de prope Beneventum deveniunt, in quodam colle, qui respicit ex opposito Beneventum, cuius distantiam alveus fluminis tantum facit, figunt accelerata vestigia; et dum sic sunt in ipso colle castramentatis, Rex Carolus qui continuo motu per exercitum, frendens sicut aper dentibus, discurrebat, multos milites cingulo ad perpetuam rei memoriam decoravit, continuo quasi clamore has voces catervis exercitus emittendo: hic clarius apparebit, quales habent Gallici milites: qui militae zelant honorem: sane post haec primatibus exercitus congregatis in loco campi, ubi qui voluit, potuit interesse, his eos verbis brevibus alloquitur.

PARLAMENTUM REGIS CAROLI “Sciatis certissime, Domini Milites, quod de loco isto in Franciam fuga

longos habet protractus. Ut pugnemus, venimus: si succubamus hostibus, sine spe misericordiae moriemur; fugae praesidio nullum tutelae patrocinium nobis impendentur, quia gentes, per quas venimus, sicut nos venientes honorabiliter tractaverunt, et reverenter impenderunt nobis gratum obsequii famulatum, ita nos fugientes, animis eorum in pravitatem conversis, quadam aemulatione usque ad mortem persequentur. Resistamus ergo viriliter, et pugnemus audacter, ut vel omnes uno ore diglutiamur, vel speratum triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius enim est mori, quam fugere; nam fuga anxia multiplices mortes inter odientium discrimina secum trahit. Nos quidem confidentius possumus dimicare cum enim adversarii, quos anathematis, et excommunicationis sententia perculit, sub illius nomine Sathanae, cuius manibus per huiusmodi sententiam sunt a Sede Apostolica mancipati, cum aeternae vitae desperatione confligunt. Nos solum sub illius celebritate vocabuli, qui pro nobis pati, et affligi usque ad interitum voluit, cum spe, immo cum certitudine misericordiae, ab ipsius Vicario. Solliciti tamen sitis, unde venientium ad pugnam prius equos laedatis, quibus succumbendi sessorum ad terram prostrati, et pannorum gravitudine lenti, et hebetes nostrorum peditum prompta manus excipiant, et trucidet. Reguletur taliter providentia vestra, quod singuli iuxta se singulos pedites habeant, vel binos si poterint, etiamsi non possent alios quam ribaldos habere: tum pro equis interficiendis hostium, tum pro conterendis iis, quos excusserint, vel in acie pari labore continuo quiescere non sinant. Ideo potentes, et fortes, quod nisi taliter iuvant, valeant cum equis hostium pari labore concurrere, et longa in bello mora durare”.

His igitur regulis praemuniti, velut canis in venationibus domini sui vocibus ad praedam, quilibet ad campum passu voluntario coivit, et quaerens quem devoret cibum, sicut famelicus Carolus laetus expectat.

Interea nonnulli Barones Regni, quos propter suspicionis causas factos a Regno exsules aliena diu patria foverat, Castra, et Terras innumeras, quarum dominium iustis titulis dabat eis licentia Regis Caroli, quam in Regni oblinuerant ingressu, per diversas Regni Provincias occupant, et patrimonia sua recuperant. Propterea Regnicolarum corda coeperunt inter se mutari non modicum, et generaliter minores gaudere. Credebat enim firmiter, quod iam Regnum esset votivae tranquillitati paratum, et ex adventu Regis Caroli libertati omnimode restitutum. Minantibus itaque Regnicolis usquequaque per Regnum, non cessant interea fortes belli parcere discrimini, et quilibet, ut fortius dimicet, se accingit.

Manfredus tamen, qui semper de instabilitate, et voto contrario illorum de Regno merito dubitabat, suis Comitibus hos sermones eructat.

PARLAMENTUM REGIS MANFREDI

“Hostes nostros, quos iam diu fama, et clamatio praenuntiavit esse venturos, videtis in oppositum existentes, et per Dei gratiam tantos, et tales esse visa nostra non iudicavit, quantos, et quales fama referente credidimus. Malos equos, et macilentos, et parvos habent; et si sunt ibi aliqui magni equi, extenuati prae labore nimio parum valent. Dum sic sunt fatigati, priusquam quaesita requie convalescant, et fortificati aliququaliter omnino invalescant, appropereamus horam conflictus, et in media arva ruarum, et si

inevitabiliter fuerit, moriamur. Gallici enim in ipso instanti videntur audaces, nec sunt stabiles, nec animum habent fortem: omnino sunt pavidi, quando resistantiam aliqualem inveniunt. O bona posteritas, memoramini gesta progenitorum nostrorum. Nonne Theutonici gentes istas antiquitus vilissimas reputabant? Nonne hos, et alios requirebant Itali, et eorum mero dominio multifarie submittebant? Fortiores sumus patribus nostris, maiori etiam personarum, et rerum potentia praedicti, quid veremur? Quid formidamus? Certe nihil aliud cogitemus, quam in exterminium hostes adducere, et eos facie nostra delere”.

His et aliis Manfredus Gallicorum mores, et facta vilificans, suos viriliter animabat; sed Comitum suorum quilibet iuxta magnanimitatem et imbecillitatem animi, secundum quod magis, et minus fidelitatem sibi servare disposuit, voluntatem suae mentis aperuit, et suadebant vel dissuadebant pugnam, secundum quod virtus, et vitium animi ministrabat. Verumtamen de hora pugnae Manfredus consilio cuiusdam Astrologi regebatur. Sed cum iam deliberatione praehabita compertum per artem esset, quod felici omine pugnam poterat aggredi, quidam ex Comitibus ipsis proditoria obstinatione corrupti, et machinationem nequissimam moliti, dissimulantes sibi displicere praelium, solum commodum ipsius Manfredi fore, si confligerent, praetendentes, ipsum Manfredum fore, si non confligeret, pro dignitate Spurii dereliquendum. Quidam etiam, quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat accersiri, sumpta causa, vel occasione potius, quam quaerunt volentes recedere ab amicis, substiterunt in locis primis, futuros successus morantes potentiae utrisque: sed qui pares censeri

poterant in crimine, inde fines simulabant, se ad Terrarum suarum custodiam remanere.

Inter haec Manfredus cum quibusdam Lombardis Comitibus, et maxime cum Gualvano, Iordano, et Bartholomaeo, et cum quodam Theobaldo de Anibaldis, Cive Romano, secretum fecit consilium, et ab eis prudenter, an intendat statim contra hostes irruere, sciscitatur an quidem de attentanda pugna videatur eisdem, diligenter interrogat. Hi sane cum essent homines bellicosi, quibus aliquando famose triumphus ex bello successerat, et fortuna prospera in eorum aliquando principiis arriserant, quodam motu voluntario regebantur, ut animo videlicet, plusquam viribus crederent, et furore, plusquam virtute se vincere posse sparent. Unde viva, et prompta voce stupecentes, quomodo de eo, quod Manfredus iam eorum in ultimis probitatem expertus indagabat ab eis, clamant et dicunt: et si statim nos oporteat mori tecum, nonte negabimus. En personam tuam, ex cuius vita, et obitu nostare felicitatis dependet occasus, e vestigio sequimur; et te feliciter vivere, nosque sub militaris honore fortunae fideliter pro te mori volumus, et optamus; et ut fidem, quam pro defendenda Regalis nominis liberate congressimus, statim nostra testificentur opera, primus noster erit agressus.

INCIPIT HIC PUGNA MANFREDI

Cumque in huiusmodi voluntatum examinatione persisterent, et militate agmina, nec non agminum praepositi decesserint, clamor aethere tantus insonuit, quod sicut fertur, usque ad Alifium ventus impulit murmura, et veluit cum freta fervent valida ventorum

concita tempestate, omnium perturbabat auditum. Saraceni namque de Luceria, maxime arcerii numero decem millia, mandati fines furiose trasgredientes, dum sic Gallicos cogitarent arcuum perterrere missilibus, quod postea Theutonicis, et Lombardis quominus praedictos Gallicos expugnarent, nullius difficultatis pararetur obsatculum, circa flumen veniunt. Sed Gallicorum ferocitatem eo plus concitant, et accendunt, quo magis militum cohortibus appropinquant. Clamant de more, et quasi cadentes hostes contererent, vocibus clamare continuo invalescunt. His occurrunt ribaldi, qui congregati de facto ad manus adveniunt; et comperto, quod Saraceni essent, clamant dicentes: porci sunt isti, qui ad nos cum tanto clamore descendunt. Unde quasi inermes sine alicuius Magistri conductu solita conciti furia, velut arborum frondes, quando in nubilosa multitudine de loco moventus ad locum, venientibus Saracenorum turmis occurrunt. Verum Saraceni more solito priusquam se iungant manualiter hostibus, ex peraciis tela proiiciunt, et subito sagittantes, Ribaldos sine numero vulnerant. Emissae plus vel minus, prout ex lacertis fortioribus prodeunt, post terga sagittae, ad instar serpentis inter stipulas progredientis congeminatae sibilant, et inopinate, et irremediabiliter ex loco in illum fulgura ferunt. Sed dum frequentius eructantur in diversis corporum partibus nonnullae subsistunt, modo in capite, modoque in facie geminae residentes, nova figurant cornua, et geminatae taliter affixae circum pectus, et scapulas exornes vitium palmites simulant. Recipiunt huiusmodi simulatos ramos innumerabilia corpora, sed non funduntur; perforantur in nixum; et veluti greges ovium in campis Apuliae, quando boream de Dalmatiae, derivatum montibus patiuntur, quali caduco morbo

confectae simul, et subito in multitudine concidunt: sic Ribaldorum infinitas, quorum casus parum, vel nihil regis Caroli tangebatur exercitum, examinis redditur, et expirat. Milites autem Gallici Ribaldorum stragem occumbentium subito factam noscentes, et dolentes potissimum, ne Saraceni ex hac strage sumant vigotis audaciam, et contra eos fortius invalescant, quamdam servientium aciem deputat, qui Saracenos in campo clamantes invadant. Irruunt quidem equites numero forte mille in Saracenos praedictos, et ita fortiter percutiunt Saracenos, quod mortificati universaliter cum arcubus, et quodammodo facti examines solo metu, se nemine adhuc percutiente, prosternuntur; facti sunt veluit passeris in sepibus, quando in eos Nibius de aere subito veniens irruit, et gregales aves, quas audax Aquila quasi de Coelo corruens porsternit in nemore. Trucidantur canes, et eorum corpora, quae Gallicus gladius sine pietate aliqua extinguebat, laniata, sicut venales carnes, carnificium canibus reliquuntur. Ad haec Comes Iordanus promptus et audax, cuius aliquando fortuna iuvit audaciam, non exspectata deliberatione Manfredi, statim cum mille Theutonicis prosilivit in campum, et dato signo inter Comestabulorum catervas bellum fortissimum cum illis servientibus Gallicis iniit. Li quidem ex multa Saracenorum occisione fatigati, et quia nec erat tales, nec equis talibus insidentes, quod occurrentibus Theutonicis posset obsistere, succumbunt protinus, et pauci e Theutonicorum manibus potuerunt effugere. Omnes fere Gallicos gladius devorat, omnia obiecta agmina lacerat. Erant enim praedicti Theutonici melior quasi pars totius exercitus Manfredi. Hoc autem Rex Carolus intuens, fremens et furens, modo personaliter in Teutonicos volebat irruere, modo usus saniori consilio subsistebat;

sed tamen ordinatis banderiis, et Magistris militiae, ac Praepositis agminum, qui in campum venerant, mille milites suos electos iubet invadere. Fortes igitur contra fortes fortissime nectunt, sed Theutonicis finaliter succubentibus, adsunt Gualvanus, Bartholomaeus, et plures Comites cum Lombardis, et Theutonicis, et aliis, catervatim adbellum submitunt, et confluent durissime, sicut possunt. Belli sic durante conflictu, ex utraque parte deficientibus multis, quos vel labor, vel gladius comprimebat, aliam comitivam Rex Carolus initum conflictum durissimum edicit ituram. Haec quidem adeo fortificavit pro parte Regis Caroli bellum, quod omnino reversi sunt Gallici praevalere, immo potius praevalebant. Ah ah, Manfrede praedestinate ad malum! Totamque pugnam, et pugnae modum oculis intuetur, et corde dividit; iam iam omnino volens irruere denuo sollicitus, et attentus, sicut leporarius, quem tenet, venatur, sollicitatur brachettis, et excubilis nemoris laxiatum fremebat, et anxiebat aggreddi bellum: mandat ceteris Capitaneis, et Praepositis sui exercitus, quod illico descebant ad pugnam. Sed cum nonnulli de Regno, qui quosdam falsos Comites, cum quibus Rex Carolus sub colorato Patrimonialis successionis titulo spolia Regni diviserat, sequebantur, nollent bellum ingredi, sed proditorie abstinent: Manfredus cum suis militibus mori potius eligens, quam eis morientibus alieno profugio vitam petere, quasi desperatus cum praedicto Domino Theobaldo Romano, qui eum nullatenus dimittebat, immo quantum poterat, suadebat, quod omnino statim aggredierentur bellum, et suis militibus, qui pugnabant, succurrerent, ut vel simul omnes unus affectus, una hora, unus gladius devoret, vel exalter: inimicorum suorum ruit in medium, pugnat,

percutit, perculitur, et expugnatur (proh dolor) a suis sic proditus! Invalescit violentia Gallicorum, circumdat astutia totum campum; nulli parcit Gallicus, singulus de Manfredi exercitu necat, et trucidant immaniter; lavat sitientes manus suas in sanguine occisorum. Quamplures quidem attendentes inhumanitatem huiusmodi, videlicet quod nec prostratis Gallicus parcebat gladius, se mergebant armati cum equis in flumen, demergi satius eligentes in flumine, quam sic immaniter trucidari: unde quos gladius non contrivit, fluvius deglutivit. Facta est igitur tanta strages, quod nihil in Campo remansit, undique corpora occisorum equorum super cadavera hominum quiescebat; vix cadaver integrum, immo mutilatum diver simode poterat inveniri: omnia in desertum, et sine prima figura, iacebant impie sic tractata. Rex itaque Carolus, qui nondum de Manfredi obitu certus erat, conscendit triumphaliter Civitatem veterem Beneventi, et quae diu anxie affectaverat, spolia magis anxie amplexatur: laetus comperit, et laetior excipit gazas innumeras, et pretiosa nonnulla, quae non solum Manfredus in proprio gazaphylacio, sed et Conradus frater, et Fridericus Pater in non modica congesserant quantitate; ex diversis quantitatibus auri compositis magnis acervis sollicitus adunat, quem faciebat sola rerum indigentia, et diuturna penuria sitibundum. Thesaurus multorum Comitum incautos invenit, et recondit. Ditantur undique Gallici, nec tamen sitis ex tinguatur, vel replentur esuries. Nam non solum occisorum hostium spolia sua faciunt, sed Civitatem miseram sine personarum exceptione disrobant, et quod pessimus est, incolas caedunt, et exteris inventis ibi non parcut. Caedes continua non quiescit interea, sed praedictos magis caedunt tanto plus fortiter, quanto plus

ardent quoslibet Beneventanos adducere in externium, et in praedam.

Mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforte, ac quaslibet Regni Provincias visitat per officiales, et ministros: veruntamen propter Gallicorum multitudinem, quorum frequentia singulae Regni partes complentur, quaelibet Terra sua deplorat incommoda, et clades perterritat. Non palpavit incendia exiguo, et continuo transitu, attamen violentos sentit incursus, et afflictione iactilis ostenditur improviso; namque cum iis, qui sequuntur castra, fides, et pietas nulla insit, natum sapiunt ignis, et fulguris, ut videlicet omnia per quae transeunt loca contaminent, et quos ita subito nequeunt interimere, subactos ad instar ignis materiae denuo partes contiguas comprehendentis adurant.

Ad haec Rex praedictus tam glorifico triumpho magnificus, et de Regnicolorum moribus, regnique consuetudinibus se informet, quosdam Regnicolas, quos Manfredus penes officiorum administatione, et ministeria ante seriose congesserat in suam familiaritatem advertit, et receptat, inter quos quemdam Barolitanum praecipue, nomine Giezolinus de Marra, cuius primogenitores de montibus Amalphiae traxerunt originem, ad tractus rerum domesticarum, et commissionum regalium officiositas Regi reddebat acceptum. Hic registra proventuum Regni officiorum, et officialum etiam per diversa ipsius Regni loca particulariter ponendorum habebat, in quibus non solum iurisdictiones, et iura Regni, per quae felices, contentis dumtaxat eisdem, sui feliciter conservabantur honores, memoriter erant inserta; sed omnes angariae, perangariae, collectae, tagliae, dativae,

contributiones exercituum, immunitatum, quibus Regum nefandorum impietas miseros Regnicola opprimere ac vexare didicerat, studiosus fuerunt rubricata. Huius Giezolini consilio, et suggestu Rex, qui Regum praedecessorum suorum vitae in vivendo modum sequi, ac mores eorum probabiles non praetendebat habere, legem ponit Regnicolis, novosque Secretarios, Iustitios, Admiratos, Prothonotarios, portuzanos, Dohanerios, et Fundicarios, Magistros Scholariorum et Magistros Iuratos, Baiulos, Iudices, et Notarios, ubique per Regnum, et super hos maiores Praepositos statuit. Hi, religione iuramenti, quod in officiorum susceptione consueverant praestare, praesumptuosis abusibus violenta, ubilibet subiectos gravant indebita, ac eis importabilia onera imponentes, exigendo plus debito cruorem eliciunt ac medullas. Provocavit Regnicola Dominus oppressos flagitiis, et iam mente corrupti violenter inermes, quilibet inter se specialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur; et prae novi timore Domini plus gemitibus, quam verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinsecus, intentionis suae pandit arcana, et lamentabilibus saltem conquestibus suae mentis reserat voluntatem, ac tristes volvens in pector questus, misera eiulatione quasi Nestaores lupis clamat: o Rex Manfrede! Temet non cognovimus, quem nunc, et ter etiam deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves pascuae huius Regni; sed praesentis respectu domini, quod de mobilitatis, et incostantiae more sub magnorum profusione gaudiorum anxie morabamur, agnum mansuetum te fuisse cognovimus. Iam fuisse dulcia tuae potestatis mandata sentimus, dum alterius, et maiora gustamus. Conquerebamur frequentius nostarm partem, partem in dominio tuae Maiestatis adduci;

nunc autem omnia bona, quod peius est, et personas alienigenarum convertere debemus in praedam.

QUANDO GIBELLINI MISERUNT PRO
CONRADINO ET FREDERICO DE STUFFEN IN
ALAMANNIAM.

Regnicola igitur ubique per Regnorum murmuraciones emittentibus, et lamenta, nonnulli de Regno ipso haec, et deteriora recepta Comitibus, Equitibus, et Baronibus exteris, et abiectis ac profugis, necnon, et universis in Lombardia, et Tuscia Gibellinorum capitibus intimareprocurant de aspero et angusto ac importabili dominio Gallicorum.

Quamplures inter haec viri magnifici, videlicet Gualvanus, et Fredericus, fratres Comites praelibati, Conradus Capicius, et Marinus eius frater de Neapoli, quibus ad preces Bartolomaeus de Pignatellis Archiepiscopi Messanensis vitae veniam post eventum praefatae deliberationis indulserant in Alamanniam ad suscitandum catulum dormientem qui nondum aetate coeperat adulta pennescere, propere se convertunt. Ibi enim de tota Frederici posteritate solus Conradus, natus quondam Regis Conradi eiusdem Frederici filii, qui cum Frederico de Stuffen quondam Duce Austriae, ac multis de Theutonica magnis viris, linea consanguinitatis coniunctus, tamquam quoddam miraculum supererat. Ad hunc sane variis licet alienis suasionibus excitandum non solum praedicti exules, et alii quamplures de Regno perveniunt, sed ab omnibus Gibellinis, et a civitatibus etiam Imperialibus de Provinciis supradictis, quae quondam sub devotione Frederici, et filiorum fuerant, sollemnes Nuntii destinantur, qui sibi tamquam

Regi veturo aurum, thus offerebant, et myrrham; ac ei de propriis pecuniis, et civitatum ipsarum thesauros promittentes pro expensis necessariis ampliores, non tantum ipsum, qui corpus, et cor aetatis puerilis habebat, sed alios eo maiores virtute, et aetate amicos, et consanguineos suos ad deliciosas, et fertiles Regni epulas invitarunt; quos illico illi festinis gressibus concitaverunt venturos.

QUANDO CONRADINUS MISIT LITERAS SUAS PER ITALIAM.

Conflacto igitur, et sculto sigillo sub Regis Siciliae titulo, Conradinus per Italiam litera spargit, et Nuntios, et suum adventum celerem fore praenunciat. Conradus autem Capicius de Generali Vicariatu Siciliae subventus, sub ipsius Conradini sigillo, literas in quibus se Regem Siciliae confingebat, studuit obtinere, dicens quod ad preparandas Domino suo vias, eius in Regnum Civitatibus praedicando adventum volebat, ut praecursor, sublato morae dispendio prosperare. Sicque obtenta superioris licentia, Pisis de voluntate quoque Principum Alamanniae ac oblata per eos ipsi Conradino in antea voce praenuncia, promulgavit. Postulat interim hoc a Pisanis per mare subsidium, quod possit ad praesens in Tunisium transfretare, et quia Pisani iam disposuerant prosequi factum, et causam favorabiliter Conradini, concedunt Conrado predicto unam Galeam armatam quantum vehatur, suaeque subserviat voluntati.

Applicans igitur in Tunisium Conradus Capicius praelibantus, Domino Frederico, nato Regis Hispaniae, cogitatu callido de invadenda Sicilia machinationem, factumque Conradini iustificans, et suorum magnificans

potentiam amicorum, oblata sibi per magnificos viros Italiae, ac insignia loca subsidia, plusquam ipsa foret veritas, referebat. Praedictus enim Dominus Fredericus, et Dominus Henricus germanus eiusdem, quos invidentia, quam habebant de magnitudine ac prosperitate fraterna, et abiectos et absentes a propria diu Patria fecerat, tunc quidem pro se ac quibusdam militibus de Hispania stipendia recipiebant a Regi Tunisi, qui quotidianis cavalcatis et assiduæ guerra solitudineangebatur per alios Saracenos. Hi sane fratres Hispani prae Saracenum conversatione diutina actibus Agarenorum imbuti, et fere Christianae Religionis obliti, a Saracenis ipsis vita parum et moribus differebant. Verum Dominus Henricus a praefato Tunisi Rege habitus ex sua superstitiosa superbia, et proditoria machinatione suspectus ad seducendum et concitandum Romanam Provinciam, et curiam dimissus ab Ecclesia, ac Apostolicae dignitatis auctoritate magnae libertatis, et gratiae immensa dona poposcerat, ac sua nobilitate S. Matris Ecclesiae Romanae Ministros adeo videbantur inebriasse repente ut ei deberet de Regno Sardineae provideri conductum fuit, et factum Consistorium, et tractatum.

QUANDO DOMINUS HENRICUS FACTUS FUIT SENATOR IN URBE

Quindam Nobilis Romanus Civis Angelus Capucia nuncupatus, seditionem in Romano Populo suscitavit, per quem contra Urbis Magnates coeperunt populi quibusdam viris de qualibet Regione VII electis secum adiunctis, sub pacis specie, viribus Magistratus est erectus. Hic ex contardita sibi per dictum Populum potestate, qua quem vellet posset eligere

Senatorem Dominum Henricum praefatum contra plurim Nobilium repugnantiam, et obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui iam aliquid de ipsius Domini Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad Urbis regimen evocavit. Cuius evocationis sollemnitas, etsi fuisset ante publicationem a pluribus impugnata, et mutorum corda non immerito durius pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Venit ergo de Romana Curia factus Senator ad Urbem, et aliqua diu statuta iustitiae sub aequitatis libra omnibus suae potestatis appendens, tandem corde, et voluntate perversus, vita, et moribus protinus regulatis abiectis, in arcum repente convertitur inopinabilis pravitatis. Guelphis quide Urbis, et amicis Ecclesiae ac devotis in abundantia mellis promissi verbo tenus, fellitum, et venenosum poculum actualiter subministrat. Concipit iste similiter odia contra praedictum Regem Siciliae, cui gradu attinebat consanguinitatis; et cum de Sicilia, et suorum successuum felicitate invideret, quaerebat opportunitatem, ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare, vel cadere, aut in Regni possessione eundem se Regem habere legitimum; et motum sui animi fore iustum pro eo quod eidem Regi quando primum contra Manfredum inops, et iam substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniae quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguinorem, sibi, ut bona fide spoponderat, reddere contemnebat.

DE ADVENTU CONRADINI IN ITALIAM

His contra praefatum Regem immo ex cordis iniquitate, Conradino Italiam iam venire disposito, et parato, se literarum, et Nuntiorum destinatione confoederat, et

ei posse suum, ac Romanorum potentiam subsidiose spondens, contra Regem Carolus experiri, multis ipsum inductionibus ad celeriter veniendum reddit attentum, ostendens sibi mendaciter, quod adventum suum Regnicolae, et Roma, et tota Italia suspirabat, et asserens, eidem Gibellorum saltem subsidia non posse deficere, ac se etiam toto animo hostiliter Gallicis fore armatum obviaturum. Ad huiusmodi igitur grande factum ex hortatione ac pollicitatione suggestum, statim Conradinus sollicitatibus ab omnibus instantissime, quibus ultra se promiserat venturum in Italiam esse, congressus accinctos magis accelerat.

Intera perfidus Christianus Dominus Henricus varie excogitans ac tentans omnes Nobiles Urbis Guelphos una hora simul in Capitolio irretri, ad instar piscium, quando plures numero uno tractu retium capiuntur, facit ad se praedictos Nobiles proditorie accersiri; cumque Nobilium ipsorum alter alterius vocatiorem penitus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti, Capitolium ascendunt. Sunt autem praedicti Nobiles, Dominus Neapolion, Matthaeus frater eius de filiis Ursi, Dominus Iohannes de Sabello, Petrus Stephani, et Angelus Malabranca. Hos tamen, qui nihil de excogitata fraude praesenserat, ad vocatiorem praedictam pure ac simpliciter venientes, statim Dominus Henricus cepit, captosque iussit in Capitolio prisonari: quibus in ipso captionis initio nullam motu vel gestu formam turbationis, aut alicuius asperitatis ostendit, immo praeconceptae contra eos fraudis patula lenitate verborum, sagaciter temperat virus: et merito, ne propter huiusmodi captorum detentiotem, tam subito seditiosus contra eum tumultus commoveretur in Populo. Postquam

vero dictos captos verbis assecuravit mellifluis, perpendens, quod concitata Populi corda quieverat, ex eis aliquos, videlicet Dominum Neapoleonem, et fratrem, apud Monticellum, quod est Castrum fortissimum prope Tybur, inibi moratorus in carcere ad suum beneplacitum destinavit; et tamen ut eos de districtu extraheret Urbis, eosdemque posset libere conservare, apud Sarraceniscum, quod est Castrum Conradi de Antiochia, nepotis quodam Frederici praedicti, iubet exacta custodia in arcto carcere detineri. Verum ex reliquis in Capitolio sic detentis praelibantur Dominum Iohannem de Sabello, de quo cum esset homo probatae fidei, zelans pacem, et tranquillitatem Urbis toto mentis affectu, nulla sinistra pateret suspicio, receptis primo ad cautelam pro eo quibusdam fideiussoribus, et Luca eius filio dato obside pro excambio, a carcere Capitolii relaxavit. Et quia Raynaldus de filiis Ursi, vocatus cum aliis Capitolium non conscendit, interim se in Castro Marini, non sine audaci promptitudine receptavi, iam dictus praedo Christianus contra eundem Dominum Raynaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, et Castrum ipsum, quod quamplures de urbe sternui milites et pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad Urbem furibundus, et fremens.

QUANDO DOMNUS HENRICUS EXTENDIT
MANUS PER ECCLESIAS THESAURUM
ACCIPIENS

Qui in Urbe commorans, non contentus in viros Ecclesiasticos, et Ecclesiae Romanae devotos manus immaniter immittere violentas, ad thesauros innumeros, quos conservabant Ecclesiae, sceleratas manus excrabiler extendere non pascevit. Sunt enim Romae

diuturni mores quibus non solum Romani, qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet congregant, vel habent res preliosas, quas propter latrones hostiumque incursus in dominibus propriis conservare formidant, sed et quamplures exteri vicini libentius petentes Romam, sacris in Monasteriis, et Ecclesiis magna, et multa deponunt peculia, quae per longum tempus non requiruntur a Dominis, considerato, quod in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari. Ad haec itaque diripienda deposita, contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum, praedictus Domnus Henricus anxiis instat conatibus, totoque incenditur mentis ardore, sicque praedo securus Deum, Ecclesiam, et homines non verens offendere loca depositorum huiusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hic confringit sacrilegus ostia, hic Sacristias violat sceleratus, hic fur violentus aperit cavernas Clericorum, inde pecuniam, inde argentea vasa, et aurea, inde sacras vestes et quaecumque pretiosa diripit, et asportat procul. Proh dolor! Lateranensis, S. Pauli, S. Sabae, S. Basilii Aventini, S. Sabinae, et aliorum Monasterium, et Ecclesiarum loca dolent, et lugent, suis disturbata depositis, et altis clamoribus conquerendo pro voce dant gemitum, et per illum doloris ingentia suspiria, et singultus: orant Ecclesiastici viri, et has voces sub incendio lugubris infelicitatis emittunt: O infelix Urbs Urbium Roma! Tot SS. Patrum glorificis ditata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus Sanctuariis honorata, facta es modo opprobrium, et subsannationis illusio gentibus, quae circumstant. Venerunt, inquam, gentes in hanc Sanctorum haereditatem, quae in cordis insipientia, Deum in Sanctis suis non cogitant, et dum divina Temppla

polluere non formidant, Ecclesiarum pecunias, et loca desolaventur ipsarum. Ergo suppliciter nos peculiaris Christi, et Ecclesiae suae populus, nos grex Dominicus, et Pascua, boni Pastoris oves, ut tu Deus ultionum Dominus hanc tuam, et Ecclesiae tuae temporibus nostris ulciscaris iniuriam. In conspectu tuo sic gemitus compenditorum introeat, sicque oppressorum clamor ad sedem Maiestatis tuae ascendant, ut iniquitates istas quas fidelis Populus tuus patitur a gentibus, quae te non noverunt, provida clementia tuae propitiationis aboleat, et miseratio tuae pietatis abstergat.

Iam inter haec Conradinus una cum filio Ducis Austriae, comitante sibi equitum Theutonicorum manu, in Lombardiam de Alamannia venerat, ubi aliquantulum moram trahens, fautorum quondam Manfredi patruui sui tam de Tuscia, quam de Lombardi cepit tunc quondam per literas oblata subsidia. Sed sedula consideratione attendens, quod ad invadendum Regnum, et Gallicos in Regno morantes, pro illorum comitiva Theutonicorum, qui sequebantur ipsum, non posset etiam triplicata sufficere, consideravit tamen, quod Gibellinorum usquequaque subsidiis, quae tam a civitatibus, et locis Provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Carolum videbantur pariter agi negotium, quam etiam a personis particularibus, quas vel vicinorum invidia, vel temporalium bonorum cupido concitabat ad arma sumenda, oblata, et destinata demum sibi fuerant, in uno eodemque exercitu contra Regem ipsum unanimiter adunatis, poterat cum Gallicis qualibet succumbendi sublata formidine victoriose pugnare. Unde contra monitiones mandati, et inhibitiones tandem expressas Romanae Sedis Antistitis, cum anathemate

excommunicationis sententiam mente iuvenili temere in hac parte contempsit, et Romam quamcilius venire festinat, ut et fautoribus, et complicitibus suis eius adventum expectantibus celeriter votum animi sui promat: plus tamen verbosis literis atque praeconiis, quam pedibus molitur in iam deliberata vestigia. Eum enim fugietem suasionis, et stimoli fortius ad ultima fatotum excidia impellebat, eundemque in tantum sub delusoria sponsione Arecii trahebant ad nubilium tenebrarum, et sub felicitatis ostentamente futurae, debilem, et insanum in medium procellarum fluentium adducebant.

Fama igitur de praedictis ad Conradum Capicium, et D. Fredericum, qui adhuc Tunisium, devoluta, statim sub favore illius Regis Tunisii cum ducentum Hispanis, totidem Theutonicis, et quatricentum Turcis stipendiariis, quos in Tunisio ad Reges eiusdem stipendia commorantes, avidos ad spolia Siculorum, tamquam alias expertos temporibus retroactis esse compererent, in duabus navibus, in quibus quidem decem, et septem equos induxerant cum eis, multis tamen sellis, et frenis muniti, in Siciliam trasfertant. Hos quaedam terra, quae vocatur Schiacca regalis domini, sed dehabitata, primordialiter receptavit; ipsisque nonnulli Siculi, quos tamquam perpessos successionis occasione exsilium, aversos adhuc spes vacua fovebat, grandia exenia praesentarunt, per quae non modicum eorum delibitis fortificatur adventus. Conradus igitur Capicius per totam Siciliam spargit literas, ac se Illustrissimi Regis Conradini Vicarium in Sicilia generalem literali fictione describit, tales literarum teneros inter alia intimando: Ecce Rex noster cito veniet in celebri

magnae potentiae maiestate, in manu potenti, et brachie excelso nimis. Veniet tamquam verus Dominus novus Rex, et naturalis successor ad hereditatem sui regiminis, et patrimonii gentem, quam unanimiter opprimunt exteri, et gregem non suae possessionis, quo possessor violentus abuliter, liberare disposiut, et te erectam in antiquis felicium progenitorum suorum liberatibus confovere. Cuius sane Conradi Capicii Nuntios, et literas quam plura loca, et nonnullae personae recipiunt, ac Conradini adventus gratificant, et acceptant, eo quidem perveniente instabili voluntate, ut ad Conradini nominis, et honoris magnificationem aspirent: sicque tota Vallis Mazzaras, totaque Vallis Nothi, et fere tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Panormus, Messana, et Siracusae, dictum Conradi, et D. Frederici beneplacitis, saltem nutibus obtemperare videntur. Cumque quidam Fulco de Podio Riccardi, Provincialis natione, Vicarius tunc in Sicilia Regis Caroli generalis, videret Siciliam tam subito studiosa machinatione commotam, contra praedictos Conradum, et D. Fredericum adhuc in Schiaccia propter equitum paucitatem multum debiles existentes, amicorum, et aliorum de consensu quorum fraudolens voluntati propositum ignorabat, exercitum congregavit. Verumtamen praedicti milites convenerunt ipsum Fulconem, et quod multi violata mente conflictum cum hostibus in montaneis inirent, seduta denuo suasionem confortant, hac consideratione potissime, ut ipsum sagacius, et liberius pro voto possint adducere in praecipitium, et ruinam, ac eundem et gentem suam in cibum, et praedam exercitus hostium praeparare. Et iis ipsis profectis quamplures extranei proditorie fabricaverunt bannerias, et vexilla, ut descendantibus

hostibus ad conflictum ea in ipsorum hostium auxilium, et exterminium reliquorum terga vertentium exigent, et banneriis, ac vexillis erectis de amicis nova quodam mutatione facta subito gladios et lanceas converterent in amicos.

[libro IV cap. 10]

Factum est itaque, quod dum praelibatus Vicarius prope Schiaccam magnum Sicularum exercitum congregasset, et illorum potissime, qui vocati in partibus illis vexilla ferebant, appellati vulgari linguositate, foetentes, fidem Regis Caroli profiteri viderentur, iam dicti Conradus, et D. Fredericus cum equis, et equabus, quos, et quas invenire tunc poterant, in illo modico temporis intervallo versus exercitum contra eos adductum, quasi familiares hostes inimicis domesticis appropinquant. His igitur iuxta eiusdem exercitus ambitum audacter subintransibilibus, loca castrorum statim in ipso debiti eorum congressu, nullius tutela defensionis adhibita, Sicularum agmina fugata finaliter exparguntur, ac Provinciales in praedam hostium derelinquunt, ex quibus aliis erectis fabris, et fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis, et vexillis, post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post commixtionem hinc inde iam factam, intrant suorum agmina peditum, conversique repente in arcum pravae malitiae convertunt manus, et dimicant contra suos. Vicarius autem se aspiciens sic subito proditum, et dolose deceptum dimissis pavilionibus, et tenoriis, fractis arnesiis, fugae non improvide petit remedia, nec se volvit discriminoso certamini conscientia gravata committere, sed se, suosque Provinciales a manibus invalescentium hostium

eripere studuit fugiendo: pauci vero demum ex omnibus lethaliter vulnerati, quamquam, et interfecti, et capti fuerant multi tam ex Provincialibus, quam ex Siculis supradictis; sed hostes advenientes ad spolia maxime capienda equos studebat habere potius, quam extinguere morte totaliter debellatos.